

Athanasius, qui Synodi Tyriae iudicium non admisit, nec eius sententiae ullam rationem habuit, at postmodum vocatus a Iulio Romam confugit. 2° Qui appellat ipse est qui provocat ad iudicium superioris: atqui in hac causa non ipse provocasse Athanasius videtur, sed vocatus fuit a Iulio (« non suo motu sed accersitus ac litteris nostris acceptis huc accessit ». Iulii epist.) postquam hic literas ab Eusebianis acceperat quibus illi postulabant Synodum cogi Romae, et ipsi Iulio arbitrium causae deferebant (Cf. Athanasium Apologia cont. Arianos n. 20. Iulii epistolam ad Eusebianos n. 2. et 20 (Theodoretum H. E. L. II. c. 4°). Quamvis vero legati Synodi Alexandrinae ipsiusque Athanasii, qui literas Synodicas Romam tulerant, quas ad omnes Episcopos Synodus ea misit ut nefaria facinora Arianorum nota facerent, postulaverint Synodum fieri Romae quod iam legati Eusebianorum petierant (Athanasius l. c.); tamen id non probat Athanasium proprie appellasse, tum quia ea petitio videtur facta postquam Eusebiani arbitrium causae detulerant Iulio, in idem sponte consentientibus aliis, tum quia aliud est, ut diximus, appellare, aliud postulare iudicium penes legitimum et iustum iudicem, quod tunc factum fuit.

Attamen etsi forma propria appellationis defuerit, si id quod gestum est consideretur, dicendum est Iulium ius exercuisse proprium eius qui appellationes a iudiciis Episcoporum recipere potest, atque sententiam ab eo latam fuisse aequivalentem sententiae in causa appellationis. Etenim ius appellationis recipiendae in eo est quod sententia ferri possit post aliorum sententiam de eadem re, quod cogi possint iudices priores ad se sistendum cum reo iudici secundo, quod hic possit rescindere et irritare sententiam priorem. Quod vero reus vel appellet, vel vocatus veniat, id non minuit ius superioris iudicantis, sed solum mutat modum instituendi iudicii. Porro ea omnia praestitit Iulius in causa Athanasii aliorumque Episcoporum; et sententia Iulii lata in sua Synodo efficax ex se fuit, ut primum docent nos Patres Sardicenses in epistola ad Ecclesiam Alexandrinam, aientes quod « aequitas iudicii fratris et coepiscopi nostri Iulii liquido apparuit qui non temerario consilio, sed cum debita accuratione sententiam tulit adeo ut nihil sit dubii de communionem fratris nostri Athanasii relictum ». Tum docent Socrates et Sozomenus; ille L. II, c. 15. « Porro Athanasius post diurnos labores aegre tandem in Italiam pervenit... Eodem tempore Paulus quoque Constantinopolis Episcopus, Asclepas Gazae etc. in urbem regiam adventant. Ubi cum Iulio Romanae Urbis Episcopo causam suam exposuissent, ille, *quae est Romanae Ecclesiae praerogativa*, liberioribus literis eos communitos in Orientem remisit singulis sedes suas restituens, simulque

perstringens illos qui supradictos Episcopos temere deposuissent ». Et Sozomenus L. III. c. 8. de eadem re: « Episcopus igitur Romanus, quum *singulorum causas cognovisset*, omnesque consentientes Nicaenae Fidei comperisset, in communionem recepit. Et *quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat*, suam cuique Ecclesiam restituit ». Negat Henricus Valesius ad locum Socratis citatum, et negant Maurini editores (in Admonitione ad Apologiam citatam) factam unquam reapse a Iulio restitutionem Athanasii in suam sedem. Verum nonne ipse Iulius in epist. ad Eusebianos testatur se habuisse Athanasium ut verum Episcopum, ac habere, post causam discussam? Quid porro hoc erat nisi iudicare ipsum esse Alexandriae legitimum Episcopum, nullamque rationem habendam esse intrusi Gregorii? Id porro est tantumdem ac ei suam sedem restituisse; neque enim de materiali restitutione agebatur, neque is unquam vel aliqua specie iuris, sed solum per vim deturbatus ab ea fuerat. Recte proinde Socrates et Sozomenus actum Iulii sunt interpretati.

Ante Athanasium eiusque in appellatione socios alii quoque appellarunt Romam. Omittimus Marcionem, Primatum Lambesitanum, et Fortunatum pseudoepiscopum, de quibus confer Zaccaria Antifebb. p. II. L. 3. c. 2., hi enim forte vere non appellarunt. Nam ad Marcionem quod spectat, etsi fides potius habenda sit Epiphanio (h. XLII) quam Tertulliano (De Praescript. c. 30); non satis liquet ipsum appellasse. Ipse quidem, postquam propter flagitium ab Episcopo Sinopis pulsus est ab Ecclesia, et poenitentiam obtinere non potuit, confugit ad Ecclesiam Romanam: verum ratio confugiendi potuit esse multiplex. Etenim potuit confugere appellationis causa, ut sententia Episcopi sui retractaretur: potuit etiam confugere ut communionem et locum presbyterii quem in sua ecclesia amiserat, in alia ecclesia, cui ignotum esset suum crimen, et quidem in praecipua Ecclesia obtineret. Id enim identidem factum esse ut aliquis a suo Episcopo excommunicatus, ad alium confugeret, eiusque communionem peteret atque etiam obtineret, liquet ex canone V Nicaeno et XVI Sardicensi qui id rursus vetuerunt. Porro hoc aliud est ac appellare. Sane clerus Romanus (vacabat tunc sedes) negans ad sui communionem recipere Marcionem hanc rationem reddidit: « nobis iniussu venerandi Patris tui (episcopus enim erat eius Pater) facere istud non licet: una siquidem fides est et animorum una consensio. » Quod si de appellatione actum esset, vel non negassent se posse eam excipere, vel negantes hanc dedissent forte rationem, quia Episcopus Romae non erat. Idem vere intendisse videtur Privatus Episcopus, qui a Synodo depositus Romam legatum misit, « qui furto et frau-

dulenter literas a nobis elicere curaret » ait Clerus Romanus ad Cyprianum epist. XXX: literas nempe communionis petebat, sed furto et fraudulenter: at si appellasset, rem totam plane aperire debuisset, de quibus criminibus accusatus, quam sententiam tulerit. In negotio quoque Fortunati appellatio non satis liquet. De ea a Cypriano epist. LV nunquam fit sermo, nec de iterando a Romano Pontifice iudicio, sed tantum de literis quas Felicissimus, qui Fortunati causam agebat, Romam tulit, quibus criminationes contra Cyprianum continebantur: quare Cyprianus et criminum Fortunati eiusque sociorum ac suae innocentiae in ea epistola probationes affert. Vide Pamelium in hanc epistolam.

Verum his omissis certa est appellatio duorum episcoporum Hispaniae ad Stephanum probata ab ipso Cypriano. Cum enim Episcopi Basilides et Martialis in Synodo, et quidem a legitimis iudicibus depositi fuissent, fuissentque his substituti Felix et Sabinus; ii ad Romanum Pontificem Stephanum confugerunt; qui ipsis auditis eorumque causa cognita, eos suis sedibus restitui iussit. Porro haec est vera appellatio a iudicio legitima Synodi ad tribunal Romani Pontificis, qui causam ipse cognovit sententiamque tulit. Factum narrat Cyprianus epist. LXVIII ad eas Ecclesias Hispaniae, quae Basilidem et Martialem eiecerant. Porro audita sententia Stephani illae Ecclesiae per Felicem et Sabinum literas Cypriano dederunt ut ipse iustam pariter ac necessariam sollicitudinem eorum vel solatio vel auxilio suae sententiae subleverat. Quid vero praestitit Cyprianus? convocata Synodo lectisque iis literis, quibus plura et ingentia crimina Basilidis et Martialis referebantur, censuit cum suis episcopis illos iuste depositos esse nec amplius habendos esse ut episcopos, ac legitime esse ordinatos Felicem et Sabinum. Subdit autem: « Nec rescindere ordinationem iure perfectam potest quod Basilides post crimina sua detecta, et conscientiam etiam propria confusione nudatam, Romam pergens Stephanum collegam nostrum longe positum, et gestae rei ac tacitae veritatis ignarum fefellit (forte ipse Cyprianus deceptus a Felice et Sabino fuit), ut exambiret reponi se iniuste in episcopatum, de quo fuerat iure depositus. Hoc eo pertinet ut Basilidis non tam abolita sint, quam cumulata delicta, ut ad superiora peccata eius etiam fallaciae et circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus qui fraudulenter obrepsit ». Scilicet hoc unum notat Cyprianus *vitium obreptionis*, quo sententia nulla est, non ipsam appellationem; quam profecto praecipue improbasset, si ius aut consuetudo non ferebat, ut Romanus Pontifex sententias Synodorum suo iudicio irritaret, et damnatorum appellationes excipe-

ret. Imo appellationem probat: qui enim notat vitium obreptionis, supponit et cogitat iudicem esse legitimum illum ad quem recursus fit: obreptio enim et subreptio proprie habent locum penes iudicem et superiorem.

Haec quidem sufficiant: monendum est enim quod, cum pauca veteris aetatis munimenta supersint, non sunt plurima ex huiusmodi factis postulanda. Nihilominus testes certos habemus huius antiquae consuetudinis. Etenim eam testatur Leo M. in controversia cum S. Hilario Arelatensi, Epist. X (cf. hac de re Fratres Ballerinius Operum S. Leonis Tom. II, ad dissertationem 5^m Quesnelli): « Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, a vestrae etiam provinciae Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum, *quemadmodum vetus consuetudo poscebat* (non heic citantur canones Sardicenses, sed *consuetudo* eaque *vetus*) appellationem causarum aut retractata aut confirmata fuisse iudicia. » Augustinus quoque tanquam rem notissimam tradit ius Romano Pontifici fuisse ante Nicaenam Synodum iudicandi per se ipsum causas Episcoporum iam alibi damnatorum (Epist. 43^m n. 7): « Posset (Caecilianus) conspirantem multitudinem inimicorum non curare, cum se videret et Romanae Ecclesiae, in qua semper Apostolicae Cathedrae vigit principatus... per communicatorias literas esse coniunctum, *ubi paratus esset causam dicere*, si adversarii eius ab eo illas ecclesias alienare conarentur. » De subsequentibus Appellationibus Chrysostomi, Euthychetis, Flaviani, Theodoretis lege Fratres Ballerinius l. c. ad Dissertationes Quesnelli 8^m 9^m 10^m.

Opponunt quidem adversarii quaedam facta, quibus Episcopi videntur restitisse huic iuri Romanae Sedis, et contendisse ex se firmas esse et immutabiles sententias synodorum Metropolitanorum vel Primatis vel Patriarchae; sed ea expendemus thesi XX.

IV. Constat itaque ius Romani Pontificis excipiendi ex toto orbe appellationes. Hactenus quidem videmur in argumento historico tantum locuti de Episcopis appellantibus; sed et inferiores clericos ceterosque fideles appellare posse manifestum est: 1^o quidem quia par est ratio; nam auctoritati Primatus immediate subsunt omnes fideles, eorumque iudices: 2^o quia si episcopi appellare possunt, deficit principium adversariorum, quod sententiae Synodorum sint immutabiles; at si hae immutabiles non sunt, multo minus immutabilis erit sententia unius Episcopi, a quo clericus vel laicus damnetur; poterit ergo ab hoc iudicio et a iudicio Synodi appellari ad Romanum Pontificem. Fieri quidem poterit ut propter certas rationes id prohibeatur lege aliqua quae vim suam ab auctoritate Pontificis oblineat: sed ius ipsius

negari nequit. 2) Etiam quoad appellationes cleri inferioris testimonia exstant in antiquitate. Sane huc spectat interpretatio ab Innocentio I adhibita canonis XVI Sardicensi, et Canonis V. Nicaeno, qui sic habet: « de his qui a communione segregati sunt, *sive clericorum sive laicorum sint ordinis*, ab Episcopis qui sunt in quavis provincia, valeat sententia secundum canonem (cf. canonem apostolicum XIII) qui pronuntiat eos qui ab aliis eiecti sunt, non esse ab aliis admitte-ndos: examinetur autem numquid vel pusillanimitate vel contentione vel aliqua eiusdem episcopi acerbitate, congregatione sint pulsati. Ut hoc ergo convenienter fiat, recte habere visum est ut singulis annis in unaquaque provincia bis synodi fiant etc. » Haec autem ita Innocentius I enarrat epist. ad Victricium Rothomag. « Si quae causae vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortae, ut, secundum Nicaenam synodum, congregatis eiusdem provinciae Sacerdotibus iurgium terminetur. Nec alicui liceat (verba sequentia exceptiva a quibusdam reiciuntur ut apocrypha, sed absque sufficiente ratione) *sine praeiudicio tamen Romanae Ecclesiae, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri*, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias ». Scilicet ii canones non prohibent clericos confugere ad Romanam Sedem; imo ius ea habet in omnibus causis excipere eos qui ad se recurrunt. Quia vero in canone nicaeno sermo est quoque de laicis, quoad hos quoque valet interpretatio Innocentii. Ita Caelestius a Concilio Africano appellavit ad Zosimum qui causam cognovit sententiamque definitivam tulit (cf. Epist. eius X). Item appellavit Eutyches archimandrita ad Leonem M. ut ex huius epistola ad Flavianum evidenter liquet. Pariter Gregorius M. appellationem excepit Ioannis presbyteri Chalcedonensis, eumque absolutum ad Episcopum Ieiunatorem remisit (epist. L. VI ep. 15^a). Cf. de hac re Zaccaria l. c. Christianum Lupum De Appellationibus Romanis Operum Tom. VIII et XIII, et Di. David opus exquisitissimum, maximoque cum fructu legendum editum Parisiis ann. 1671 Des jugemens canoniques des Evesques, adversus recentes doctrinas plurium auctorum et praecipue Illustrissimi De Marca.

V. Oportet tamen et haec quoque quasdam ex ratione et auctoritate petitas expedire difficultates. Aiunt primo rationi congruum esse ut ibi iudicium instituatur ubi delictum patratum est, ubi testes reperiri possunt. Verum 1) id ratio exigit ideo ut notitia rei per testes haberi possit: atqui haec notitia non deest in tribunali Pontificis ad quem appellatur: ea enim obtineri debuit in primo iudicio Episcoporum, cuius omnia acta referri debent, posita appellatione,

ad Romanum Pontificem: ad quem et testes et accusatores praeterea vocantur. 2) Non infrequenter ratio vel aequitas docet ut reus abstrahatur a potestate eorum qui eum damnarunt, et iudicetur in loco ubi hi nihil per vim possint; non enim raro contigit ut metropolitanus aliquis, vel coepiscopi ex inordinata affectione sententiam iniquam tulerint eamque voluerint vi aut timore incusso tueri. Quod nos docet Gregorius M. epist. L. VI. epist. 24. ad Metropolitanum Ravennae, cum quidam de eius clero clamitassent: « contra leges et canones esse ut inter ecclesiam eius et Claudium Abbatem causa Romae examinari et iudicari debeat ». Ait enim querelam illam esse contra ecclesiasticum ordinem « praesertim quia nec causa illic dici posset, ubi se praedictus Abbas a Decessore vestro quaestus est iniustitiam pertulisse, et ex ea hactenus laborare. Hoc enim poterat fortasse opponi, si non ad maiorem recurreret, et apud eum meritum causae suae peteret terminari. Numquid non ipse nosti quia causa, quae a Ioanne presbytero contra Ioannem Constantinop. fratrem et Coepiscopum nostrum orta est, secundum canones ad Apostolicam Sedem recurrit, et nostra est sententia definita? »

Affertur deinde auctoritas Cypriani, qui, ut ait De Marca (Concord. L. VII. c. 1) edisserit iura Episcoporum uniuscuiusque provinciae, quae in eo versantur, ut ad eos pertineat discussio iudiciumque causarum et regimen gregis, rationem administrationis suae Deo reddituros: neque licere Romam aliove appellare. En verba Cypriani ex epist. LV ad Cornelium de Fortunato et Felicissimo: « Nam cum statutum sit omnibus nobis, et aequum sit pariter ac iustum, ut uniuscuiusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum, et singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos quibus praesumus non circumcursare nec Episcoporum concordiam cohaerentem sua subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores haberi, et testes sui criminis possint... iam (anno superiore) causa eorum cognita est, iam de eis dicta sententia est, nec censurae congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi. » Haec vero afferuntur a De Marca, ut probet Episcopos non posse Romam appellare. Ut sententia Cypriani intelligatur advertunt generatim eruditi 1) legem exstitisse in Africa, ut presbyteri ceterique inferiores clerici, si de iudiciis suorum episcoporum quaesti fuerint, a vicinis episcopis audirentur, et si ab eis appellare voluissent, appellarent ad universale Africae concilium, non vero ad transmarina iudicia h. e. Romam. Haec lex iustis ex causis constitui poterat, nec ulla est ratio, si ea lex tunc exstabat, cur dubitemus eam ante Cyprianum in aliquo

concilio Africae, probante Romano Pontifice, ad quem acta Synodi referebantur, constitutam esse; nec arbitrari licet Cyprianum hoc statutum voluisse Cornelio in defensionem sui allegare, si conditum fuisset sine auctoritate Romanae Sedis. Eadem lex instaurata fuit in Conc. Carthaginiensi an. 419. Can. 34^o relataque in Codicem Ecclesiae Africanae. Haec porro lex, aiunt, propria erat Africanorum (cf. Lupum Tom. VIII. Dissert. II. c. 17) ut ex ipsis verbis Cypriani intelligere licet; ait enim: « cum statutum sit omnibus nobis », nempe non est statutum pro universa Ecclesia, sed pro nobis Africanis omnibus. Ipsa autem lex non episcopos sed inferiores respiciebat (confer Observationes FF. Balleriniior. ad Dissert. V Quesnelli Oper. Leonis T. II). Iam vero Fortunatus, qui ad haereticis, tenente Cypriano cathedram Carthaginiensem, superordinatus fuerat Episcopus Carthaginiensis, non habebatur, et merito, a Cypriano ut Episcopus, gaudens scilicet auctoritate et iuribus episcoporum, sed solum ut presbyter; unde eum semper vocat *pseudoepiscopum*. Hinc si iudicium rursus experiri ipse vellet; contendebat Cyprianus vi illius canonis ut ad Concilium Africae se conferret, non ad iudicium transmarinum. Verum si ita res habuit, ex his nihil inferri potest contra ius Romani Pontificis recipiendi appellationes Episcoporum, neque contra ius eiusdem recipiendae appellationis inferiorum; lex enim propria alicuius loci, constituta propter speciales rationes illius loci, probata a Romano Pontifice qui sponte cedit exercitio alicui suae potestatis propter bonum commune illius regionis (quod exercitium, ut ex ipsa rei natura intelligitur, resumendum esset, cum bonum commune id postulet et Pontifex vellet, quemadmodum deinceps factum est in causa Apiarii) nihil detrahit iuri ipsius Pontificis. Haec eruditorum responsio quoad illum canonem quem urgere dicitur Cyprianus, sufficientissima est, in hypothesi quod quaestio fuerit de secundo iudicio quod Fortunatus appellando voluisset experiri Romae.

Verum ratio est cur dubitemus hanc hypothesim veram esse, et proinde etiam cur dubitemus statutum ad quod provocat Cyprianus esse illud cuius eruditi mentionem faciunt. Etenim, ut ex ipsa Cypriani epistola liquet, res ita se habuit. Fortunatus fuit quidem a Synodo damnatus propter schismaticam ordinationem quam ab haereticis susceperat, attamen ipse nondum se stiterat iudicio Episcopi sui Cypriani, in cuius Ecclesia presbyter erat, ut, si vellet, accusationes refelleret seque tueretur. Id ipse Cyprianus testatur: « quia consentiam suam norunt, nec nos audent adire, aut ad Ecclesiae limen accedere ». Hinc subdit: « si iudicium nostrum voluerint experiri, veniant ». Nondum ergo Felicissimus et Fortunatus experti

erant iudicium Cypriani h. e. eius tribunal adiverant, causamque suam apud eum egerant. Quare cum dicuntur a Cypriano damnati *causa cognita*, cognitio haec causae fuit ipsa notorietas delicti, schismatica usurpatio potestatis episcopalis: neque Cyprianus negat posse eam sententiam rursus ad examen vocari, cum paratum se dicat ad instituendum rursus iudicium; sed dicit eam non esse reprehendam mobilis atque inconstantis animi levitate: quod est prorsus aliud. Adhuc ergo agebatur de primo iudicio, in quo reus simul cum accusatoribus audiretur, suamque causam defenderet. Porro hoc est quod Cyprianus contendit, si hi improbi audiri volunt, causam suam defendant ubi crimen admissum est, ubi accusatores haberi et testes sui criminis possint. Loquitur ergo Cyprianus de iudicio primae instantiae, cui reus se sistere debet. Id autem ubique statutum erat, ut primum apud Episcopi tribunal reus, si reus esset presbyter, vel Synodi provinciae, si reus esset Episcopus, audiretur. Huiusmodi igitur est statutum ad quod Cyprianus provocat. Et sane aequitas et iustitia, quam Cyprianus illi statuto vindicat, non habent locum nisi pro iudicio primae instantiae. Ait enim 1^o aequum esse et iustum ut illic causa uniuscuiusque *audiatur* (non dicit: *terminetur*) ubi est crimen admissum: 2) quod singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus. Atqui prima ratio valere quidem potest pro iudicio primae instantiae, at pro sequentibus nescio an sit aliquis iuris peritus, non excepto De Marca, qui illam admittat (cf. dicta superius). Et sane si ea ratio valeret pro omnibus iudiciis, nec licuisset alicui presbytero longinuae dioecesis appellare ad Synodum universalem Carthaginens. Quod si eo se conferre poterant accusatores et testes, cur non poterant Romam? Discrimen tantum erat temporis et expensarum. Altera vero ratio difficilis sane est, nisi de iudicio primae instantiae intelligatur. Singuli pastores sunt Episcopi. Christianus Lupus quidem interpretatur Patriarchas vel Primate, utique autocephalos, cuiusmodi erant tres Exarchi: sed ratio huius limitationis non apparet; cum Cyprianus licet esse Primas Africae, non esset tamen Primas autocephalus, ut Patriarchae et Exarchi; sed subiectus potestati patriarchali Romani Episcopi, qui erat Patriarcha totius Occidentis: unde mentio Primatum autocephalorum nihil iuvabat Cyprianum. Singuli ergo pastores sunt, ut frequenter Cyprianus loquitur, Episcopi: at ea verba *rationem sui actus Domino redditurus*, quid sibi volunt? an, ut vellet De Marca, exclusive accipienda sunt, h. e. *Domino soli*? sed in hac hypothesi neque ad vicinos Episcopos et ad universalem Africae synodum licuisset appellare. Si autem non exclusive accipienda, sed et suis superioribus Episcopi